

PRAEFATIO.

Orestem tragoediam etiam si nesciremus quando docuerit Euripides, tamen certissimis indiciis ad illud tempus referre deberemus, quo simul et artis tragicae flos marcescere coeperat, et populi sensus ita erat hebetatus, ut pro pristina simplicitate et gravitate artificiosam communis vitae imitationem expeteret. Nam ingens illa scenicos ludos spectandi cupiditas, quae populum Atheniensem ceperat, quum multos etiam eorum, quos non ipsa natura poetas finxisset, ad scribendas tragoedias invitaret, fieri non poterat, quin vel ipsa multitudo poetarum, praesertim de victoria certantium, alios alia quae populo placerent quaerere cogeret. Placent autem plerisque, quae neque a moribus eorum ac studiis nimis aliena sunt neque captum ita excedunt, ut non possint nisi cum aliqua mentis intentione percipi. Hinc poetae isti quum magis magisque ad quamdam verbosam tenuitatem descendissent, etiam eos quibus non deerat ingenium in eandem labem implicarunt, effeceruntque ut illi quoque incuriosius et negligentius quam poterant scribere inciperent: cuius rei illustre exemplum ipsum habemus Euripidem. Is quidem etsi excusationem aliquam ex illa temporum conditione habet, tamen ipse quoque non nihil eo contulit, ut in deterius rueret tragoedia: